humaniter se gessit qui simultatibus exortis, nunquam me verbo uno admonuit ut me interponerem ad eos placandos qui forte meo consilio paruissent. Nihil pronuntio de rebus incognitis, sed, quicquid fuerit, hoc tamen aptissimum erat remedium sedandis discordijs, experiri quid mea exhortatio apud eos valeret, qui mea commendatione recepti fuerant. Quod si malum erat insanabile, silere tamen apud me non debuit, saltem excusandi causa, nec video quid impedierit, nisi quod haereticis parci volens, sicuti ter apud me confessus est, noluit sponte sese alienare. Causam omnino fingere non poterit cur suspectus esse debuerim. ab eo tempore quam varia molitus sit non refero etc. sed non facio homini iniuriam, si diligentius inquiri cupio quam perversis artibus circumvenire tentaverit quoscunque putavit non esse suae factionis. Si postulationem hanc aequissimam esse agnoscit vestra Cels. ut malorum omnium fontes aperiantur, non iam pro uno homine deprecor, sed vestram fidem suppliciter implorans, ut fratri captivo detur apud vos audientia, &, fido interprete adhibito, liberè exponere liceat, non modo quae ad causae huius definitionem sed ad Ecclesias vestrae ditionis exitialibus morbis purgandas necessaria erunt, vestrae Cels. existimationi consulere videor. His si coniuncta est Christi gloria, & publica salus & tranquillitas, minimè vereor ne repudientur preces meae, ut legitima cognitio privatis omnibus odijs, occultae quorundam libidini & violentis actionibus ianuam praecludat. Jam Deum precabor, Illustriss. princeps, ut vestram Celsitudinem praesidio suo tueatur, & virtute sustineat, spiritu prudentiae, rectitudinis, & invictae fortitudinis ad extremum usque gubernet. Genevae IIII Idus July 155
12

Cels. vestrae obsequentiss. Joh. Calvinus.

Illust. principi ac Dno, D. Georgio Comiti Wirtenbergensi, Montisbelgardi, Dno Clementissimo.

244.

Exemplar literarum D. Calvini ad Ill: principem Mompelgardi &c

\#

Illustriss. princeps quia me cogit iusta officij ratio pro misero fratre deprecari qui nunc in carcere detinetur sub vestra ditione, quia longa excusatione non utar, concedet mihi, spero, Cels. vestra ~~ut~~ has partes suscipere. Si rogare auderem ultra quam clementia & æquitate vestra fretus impetratu facile esse mihi persuadeo, temeritatis arguerer. Sed excedere modestiæ fines non videor, si tantum hoc postulo ne vestra Cels. excutiendæ tantæ causæ duas horas impendere gravetur. Scio quidem principes gravissimis & assiduis curis implicitos non tantum habere otij ut sint de re qualibet interpellandi, nec vero si de uno tantum homine ageretur ad hanc molestiam obeundam hortator vestræ Cels. esse auderem: sed quum tam integro triennio dissidijs turbatæ sint vestræ Ecclesiæ, & pastores alij post alios deiecti, nec finis ullus appareat, pio studio danda est venia, si remedij cupidus fidem vestram imploro. Ea sane experimenta & raræ pietatis, & singularis constantiæ coram toto mundo edidit vestra Cels. ut mihi dubitare fas non sit, eam sic paci consulere ut ordinem recte sancteque compositum maxime appetat. Imo nisi mihi indubium esset pluris vobis esse & Dei gloriam & Christi regnum & publicam Ecclesiæ salutem quibuslibet terrenis commodis, quasi omni accessu prohibitus quiescerem. Sed magnopere vereor neque id ~~est~~ abs re, ne P. Tossanus fallaci prætextu captaverit fratribus suis opprimendis, quibus prava sua & maligna consilia apud vestram Cels. tegeret, non quod velim eum præiudicio gravari donec, causa probe cognita, de cuiusque probitate iudicium facere liceat. Amavi hominem aliquando, & officijs prosequutus sum quæ a fratre desiderare poterat. ~~at~~ Etsi autem ingratitudinem non libenter exprobro, tamen ut alia omittam quum hinc sæpius petijsset ministros, & sciret optimo animo a nobis missos esse qui examinati suæ pietatis specimen dederant, parum

10